

Q. D. B. V.

DE

FOR TUNA PO-
LITICA,

IN

ILLUSTRI AUGUSTEO,

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI WEISII,

POLITICES PROF. PUBL.

AD D. XX. MARTII, M D C L X X I V.

SOLENNITER DISPUTABIT

GEORGIUS ALBERTUS ab Oster-
hausen/

NOBILIS THURINGUS.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS JOHANNIS BRÜHLÆI.

REVERENDISSIMO AC SE-
RENISSIMO PRINCIPI ET DO-
MINO,

DOMINO

AUGUSTO,
PRIMATI GERMA-
NIÆ, POSTULATO ADMINI-
STRATORI ARCHI-EPISCOPA-
TUS MAGDEBURGICI, DUCI SAXONIÆ, JULI-
ACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO THU-
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ NEC NON UTRI-
USQUE LUSATIÆ, COMITI IN MARCA, RA-
VENSBURGO ET BARBY, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN
&c.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTIS-
SIMO.

DO-

DOMINE CLEMENTIS- SIME.

AD quem redire poterat disputa-
torium meum Specimen, nisi ad
TE, PATER PATRIÆ? *Primâ vice*
disputo in inclyto Tuo AUGUSTE-
O: Tu, AUGUSTISSIME AUGU-
STE, ipsas Tibi vindicare primitias
non immeritò videris. *De Fortuna Poli-
tica* disputo: Tu optimus iterum Pa-
tronus, pro cuius Fortunâ & tot excu-
bant eminentissimi Ministri, & major
adhuc subditorum numerus vota fa-
cit, ipsas meas theses reddere potes
quàm fortunatissimas. Plura cur ad-
do? *Parentem non habeo*, quem qualiscun-
que hæc mea industria lætificet: nisi
Tu CLEMENTISSIME DOMINE,
qui Paternâ Gratiâ undiqve effulges,
meam quoq; sublevares spem, fore, ut

Orphanus dici neqveat, qui AUGUSTUM habet propitium. Accipe igitur primos ingenii mei flosculos, quorum, an sperari debeat ulterior fructus, Gratiae Tuæ Sol, post DEUM, efficere potest. Quod reliquum est, acclama-rem illud Senecæ: *Discat Fortuna à Te Clementiam, & sit mitissimo omnium Principum mitis*; nisi rectius ultima Disputationis verba, Tibi, CHRISTIANO PRINCIPI accinerentur: *Exaudiat Te Dominus, mittat Tibi auxilium de Sancto, & impleat omnes petitiones tuas.* Sic florebit Saxonia! Sic vigebunt PRINCIPES SAXONIÆ!

Reverendis. ac Serenis.

Tuo NOMINI

Leucopetræ d. 19. Mart. 1674.

Devotissimus ac subjectissimus
Servus

GEORGIUS ALBERTUS ab Osterhausen.



C. B. D.

PRÆPARATIO.

I.

Disputabimus de Fortuna Politica. Et Fortuna quidem vel sumitur pro effectu, vel pro causa. Cum pro effectu accipitur, felicitatem & infelicitatem hominibus advenientem denotat; cum pro causa habetur, id significat, unde felicitas & infelicitas dependet ac dirigitur. In priori sensu non est, cur aliqua disputentur, siquidem obvia passim exempla satis declarant, quid sit Fortuna: Circa posteriorem sensum, curiosa semper Philosophorum & Politicorum fuit quæstio.

II. Et apud Ethnicos verò famosæ circa hanc controversiam sectæ fuerunt Stoicorum & Epicureorum, quarum altera Fortunam ad Fati necessitatē, altera ad fortuitum & quasi cœcum casum voluit redigere. Utraque inter Christianos non contemnendum nacta est Advocatum.

III. Epicuream enim Philosophiam exornare aggressus est *Petrus Gassendus, Ecclesiæ Dinienfis in Gallia Præpositus*, eâ tamen religione, ut in hac quæstione, *num Deus speciali cura humanum genus regat?* penitus à Magistro defecerit. Fateatur enim id egisse Epicurum, ut omnem Dei providentiam circa res nostras everteret. *Vid. Syntagm. Philos. Epic. part. 2. sect. 1. cap. 3.*

IV. Stoica Philosophia Patronum habuit *Lipsium*, inter

Eruditos notissimum, qui tùm in *Manuductione ad Philosophiam stoicam*, tùm in aliis scriptis passim id egit, ut hoc philosophandi genus Christianis quàm maximè recommendaretur. *Vid. Thomas. Schediasm. Histor. §. 30. & 32.* Etsi autem in hac materia, quam ventilamus, apertam discessionem minitatur à suis Stoicis, dum *de Constantia lib. I. cap. 20.* de Discrimine Fati Stoici ac Christiani fati accuratè differit: Valdè tamen eisdem *cap. 18.* excusatum i verat, quasi quicquid de Fati necessitate scripsissent, potius in verbis scribendi siue differendi calore effusis, quàm in ipsa re & sensu, meruissent censuram. *Habere sermones, si quid improvidi, nihil tamen impii; & apud æquos interpretes haud longè abesse à vero.* Qua quidem in re minor mihi Lipsii quam Gassendi videtur pietas.

V. Enimverò à quo tempore Ethnicorum scripta Christianis fuere recommendata, sæpè formulas loquendi hinc inde videmus usurpatas, quæ, licet in optimum sensum possint trahi, facile tamen suam produnt originem. Ut, sicut balsami præparatores odorem vel nescientes circumferunt; ita etiam præter scribentium mentem aliqua interdum elabantur, ab Ethnicis accepta. Dabimus unum vel alterum exemplum, quomodo de Fortuna differatur etiam à Christianis.

VI. Quid sibi volunt verba Gramondi? *Hist. Gall. lib. 13. p. 600. Inter Hispanos & Gallos ire & redire belli æstum pro libidine reciprocantis Fortunæ, cui in ludibrium sint Regna & Reges.* Et quid idem Autor *lib. 3. pag. 277.* intelligit per Fortunam, quam Espernonius *totos septuaginta annos habuisset in vinculis?* Aut cur Svaningius, scriptor alioqui pientissimus, in *Vita Christierni lib. 1. cap. 7.* dicit? *Fortunam in hoc principe ad supremam dignitatem evehendo, rursusq; ad infimam sortem è supremo gradu dejiciendo, omnem potentiam omnemq; artem suam, non solum exercuisse, sed & omninò consumpsisse.*

VII.

VII. Nam si per Fortunam aliquid intelligitur DEO contradistinctum, ubi istud est? si verò ad DEum ea referri debet, quomodo in vinculis haberi, aut omnes vires consumere potest? Inde etiam Cominæus, *edit. Sleidan. Comment. lib. 6. p. m. 532.* cùm de casu Comitum San Paulæi, Conestabilis Galliæ, multa narrasset, quòd autoritate, viribus, amicis, pecuniâ, ingenio valens, nihilominus ad vincula & ad ipsum mortis supplicium fuisset raptus, ita concludit: *Statuendum est igitur Fortunam, quâ nihil est mutabilius, ei fuisse planè adversariam.* Sed quasi calamus præcurrisset mentem, statim subnectit hanc correctionem: *Sed revera nihil aliud est fortuna, quàm figmentum poëticum. Quin potius ita iudicandum est, iratum ei fuisse DEum & graviter offensum.* Consentit cum isto *Wilh. Ignat. Schüzius, Cancellarius Fuldensis, in Reflectionibus Politico-Consolatoriis Germanicè conscriptis, cujus cap. I. pag. 54.* hæc est decisio: *Posse quidem, quæ nobis ex improvise contingunt, fortunæ, casus & fati nomine designari; sed omninò credendum, Fortunam bonam nihil aliud esse, quàm gratiam à DEo profluentem; Infelicitatem verò pœnam rectè vocari ab eodem maximo Rege immissam.*

VIII. Ex his facile colligitur: DEum esse Fortunæ nostræ arbitrum; sed aliquid etiam relictum esse hominibus, quod, permittente DEo, possint ad propriam Fortunam contribuere. Ut proinde contemnenda non sint scripta fortunam nostram dirigentia: Faber Fortunæ *Fr. Baconis de Verulamio, qui in Sermonibus Fidelibus reperitur, Tractatu 60.* Faber item Politicæ Fortunæ Christiani *Georgii Besfelii, lingua vernacula conceptus; nec non Tractatus Gallicus de Fortuna Magnatum & Nobilium, quem nostræ lingvæ reddidit Christianus Rysseus, ut taceam plures alios in hac materia satis ingeniosos.*

IX. Id saltem ante omnia observandum, esse Fortunam seu Felicitatem vel veram vel apparentem. Vera

Passquier Recueil
 lib. 2. cap. 1
 lequel des deux
 de la fortune, ou
 du Gousteil, a plus
 ouvre a la man-
 tention de ce Roy-
 aume de France
 Fortune est sic de
 subtil p. 155: quand
 se nomme icy la
 fortune, afin que
 se n'appelle a
 aucun occasion
 de se scandaliser
 j'entens les myste-
 res de Dieu qui
 ne se peu-
 vent des-
 couvrir par
 nostre pruden-
 ce humaine.

A Archiep. Ambrun Episc. Maseois in sua ad Regem Francie, trans. hæc
 notam 30 Jul. 1673: la Fortune, ou pour parler plus Chrestienement
 une Providence particuliere de Dieu sur leurs personnes (de Rois) et sur leurs
 Empires, fait réussir tous leurs desirs.

hæc est, quæ cum ratione recta convenit, adeoque certam & constantem elicit delectationem. Fortuna apparens ex adverso, aut ineptis ac imprudentioribus rerum censoribus videtur delectabilis, aut si præsentem affert voluptatem, brevi tamen majorem post se tristitiam relinquit. Facere non possum, quin ascribam verba *Besoldi*, quæ citat *Schüzius loc. cit. p. 49.* Omne nostrum malum oritur ex eo, quod distinguere nequimus inter illud, quod aliquid est, & illud, quod aliquid esse apparet; quod non agnoscimus differentiam inter essentiam rei & ejus apparentiam. Indeque evenit, ut sæpius in negotio, in quo nos requiem inventuros speramus, solitudinem, afflictionem ac tormenta reperiamus. Et eo sensu ad *Licianum suum* rectè scribit *Martialis lib. I. Epigr. 50.*

- - miserere tu felicium
veroq; frueri non superbus gaudio.

X. Sanè multi ad imperium aspirant, (adducam exemplum *Fortunæ* apparentis splendidissimum) sed postea *Adriani VI. Pontificis* Epitaphium sibi applicant : *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quàm quòd imperaret. Zinckgref. apophth. part. I. p. 1.* Utinam verò, qui Principes invidis sæpè oculis aspiciunt, recolligerent istud *Cominæi Bell. Neapol. lib. 5. p. 909.* seu ut *Barthius* numerat *lib. 8. cap. 13.* Si recensere velim, quàm multos noverim Principes, viros atque fœminas, annis abhinc triginta, qui in summis angoribus atque tristitia vixerunt, non mediocrem sim conscripturus librum. Atque hi tamen, cum rebus omnibus affluerent, iis, qui non noverant familiarius, videbantur esse omnium hominum felicissimi. Plura occurrent infra. Adde saltem distichon *Martialis l. 9. ep. 94.*

Quæ mala sint Domini, servi quæ commoda nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu.

XI. Ac proinde statuendum certissimè, nec Principum dignitatem, nec divitias aut potentiam ita in sua
natu-

natura felices esse, ut easdem obtinenti perpetua affulgeat salus; nec, è contrario, Subditorum Conditionem, Paupertatem, & Vitæ obscuritatem ita infelices esse, ut in illis, qui versetur, necessario fit miser: sed potius, in quocunque demum statu quis vivat, prosperam adesse fortunam, si faveat DEUS, DEO quæ à parte nostri respondeamus & pietate & prudentia. Materia non indigna est, quæ distinctis capitibus pertractetur.

CAPUT I.

QUOMODO DEUS CONCUR- RAT AD FORTUNAM POLI- TICAM.

XII. Machiavellus *de Principe cap. 25.* rectè quidem statuit, omnia nostris consiliis nec corrigi, nec averti posse: in eo tamen ethnicis vel par est, vel deterior, quod mundi hujus curationem Fortunæ ascribit; non quæ sensu Christiano, pro divina ordinatione possit accipi, sed quæ cæca sit, & torrenti montano similis. *loc. cit. p. 101.* imò, ut subnectit *pag. 150. quæ fœmina sit, nec aliter quæat subjici, nisi fuste subagitetur & urgeatur,* h. e. nisi feroci festinatione actiones suscipiantur.

XIII. Sane in sensu Rhetorico humanarum rerum conditionem, quatenus à parte nostri variabiles sunt, fœminæ comparari posse, citra blasphemiam, vel ex illa Caroli V. ad Filium institutione patet: *Imitari fortunam mores mulierum, quæ procos plus nimio ambientes plerumque superbe aversantur. Verulam. Fab. Fort. p. 346.* Agnoscimus enim argutias allegoricas. Sed Machiavellus in sensu satis proprio loquens, aliquid aliud quærere conatur, quod DEO aut coordinari, aut DEUM penitus excludere debeat.

B

XIV.

XIV. Et in hac quidem Schola educatus mihi videtur malus Christianus, nescio, an melior Historicus Benjamin Priolus, cujus hæc sunt verba *Hist. Gal. lib. 3. cap. 23.* Eodem tempore imbribus & solutis nivibus auctus Sequana plana urbis stagnerat: secuta est ædificiorum & hominum strages. Illa exundatio prodigii loco habita, tanquam ipsi amnes Lutetiam infestarent, (quod fors est seu natura, id fatum & iram DEi stultis arbitrantibus) Ita enim cum augmento repetit nugas Taciti *Hist. lib. 4. cap. 26.* Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque, & vetera imperii munimenta desererent. quod in pace fors seu natura; tunc fatum & ira DEi vocabatur. Certè Tacitus stultos non appellaverat. Et profectò plures ejusmodi flosculos tum ex isto, tum ex aliis Autoribus liceret excerpere, nisi fatius esset talia suppressere, quam repetendo qualitercunque venerari.

XV. Mirum autem non est, si homines ad fortunam cœcam pleraque referant, tot hinc inde quæri felicitatis stabilimenta, & sæpè Patronos tanquam Deos alienos adorari. Quo enim spectabat ficulneum Cæsaris ad navitam trepidantem solatium: *Quid times? Cæsarem vehis. Flor. lib. 4. cap. 2.* vel quomodo Senecæ probabatur, quod ipse adulandi gratia inculcabat Polybio? *non desinam tibi offerre Cæsarem—in hoc uno tibi satis præsidii, satis solatii est—hic tibi cogitandus, hic contra fortunam advocandus, Consolat. cap. 31.* Aut quis cum fructu imitetur Caroli Lotharingi Cardinalis factum, qui ut fiduciam suam ostenderet, quam in auxilio Regis Gallici collocatam haberet, hederam pinxit Pyramidi adhærentem, addito Lemmate: **TES TANTE VIREBO.** *Joh. Ad. Weber art. discurr. font. 90. exempl. 6.* Certè parum ab illis sperandum videtur, qui, ut habet Gramondus *lib. 1. p. 31.* fato æquantur subditis. Nam quod idem enunciat *lib. 2. p. 130.* *hedera tenax, quæ parietem lambit, unà procumbit.*

XVI.

XVI. Neque tamen ista sic differuntur, quasi Patronorum nulla sit habenda cura; quin potius pro magno felicitatis signo accipiendam eorum possessionem prudentiores arguunt. Nam si Plinius in *Panegyrico Traj.* bonos amicos *boni imperii instrumentum* appellat; & notantius adhuc SAVEDRA *Symb. 2. p. 11.* Principes *instrumenta felicitatis politica* vocat: merito creditur assam columbam non per ventos accedere, sed quæ à DEO immittuntur, median- tibus hominibus dispensari; & adeo Patronos, tanquam Instrumenta divinæ benedictionis, æstimandos esse & suspiciendos. Cæterum, si quis eosdem pro causis principalibus velit agnoscere, in Mexicanorum classem se referri patiat, qui à novello rege juramentum exigebant, *ut sol cursum suum ac splendorem retineret, nubes largirentur pluvias, fluvii manarent aquis, & terra ubertim suos proferret fructus.* SAVEDRA. *Symb. 13. p. 102.* Cum tamen post spes frustra consumptas, epitaphio opus sit, quæ in Creta Insula reperiri testatur Aldrovandus *Ornitholog. lib. 12. cap. 30. pag. 412.*
HIC CONDITUR DEFUNCTUS PICUS JUPITER.

XVII. Quamobrem ante omnia respici debet ad DE- um Opt. Max. tum quatenus ex lumine naturæ cognosci potest, tum præcipue, quia de Christianis Politicis loquimur, quatenus ex lumine Scripturæ revelato jubetur, considerari. Et ignoscent Theologi, quod in discursu Politico manum injiciamus Scripturæ Sacræ. Nam textum hic non explicamus, quod eorum munus est; sed explicatum ab iisdem ad quæstiones nostras applicamus. Quin etiam ab Autoribus præclarissimis hæc nobis fracta est glacies. Hoc enim graviter inculcat Theodor. Rein- King in præfatione *Biblicæ suæ Politicæ*, cujus præfationis Auctorem aliqui nominant D. Schuppium, optima Politices principia hauriri è Bibliis. Thomasius etiam fatetur in *Idea boni*

perfectiꝫ Politici § 54. Perfectum Politicum aliquo modo Theologia
instructum esse debere. Item Conringii ad Machiavelli cap. 25. hæc
est Censura: Quemadmodum DEi benignitas provocari, aut indi-
gnatio mitigari, atq; adeò quomodo felix rerum successus procurari, ac
mala a verruncari quàm optimè possint - longè rectius atq; exactius ex Sa-
cris Codicibus discere est. pag. 215.

XVIII. Jam notum est, DEum non saltem providen-
tia generali omnium creaturarum operationes moderari
ac dirigere; sed etiam speciatim hominum curam ita ge-
rere, ut, si boni sint, eorum actiones fortunentur, & ad fi-
nem, si non apparenter, verè tamen felicem perducantur;
si mali sint, aut eorum cœpta statim interrumpantur,
aut tamen ad finem, ipsis si quando perniciosum, bo-
nis tamen utilem ac salutarem deflectantur; Ut proinde
Cominæ⁹ sanò sensu tolerari possit, dum ait, hoc beneficii ge-
nus DEum præstitisse Gallia, ut Anglia factionibus & motibus Civilibus
fuisset divexata. Comment. lib. 2. p. 364. Scilicet permisit quasi
in pœnam, factiones Anglorum; sed bonum exinde fi-
nem elicuit (vel nescientibus Anglis) pacem Gallia.

XIX. Neque tamen Decreta DEi de actionibus homi-
num aut dirigendis & permittendis, aut prohibendis & im-
pediendis, liberum nostrum tollunt arbitrium: quia non
sunt determinativa & coactiva, sed potius permissiva; vi-
densq; adeò DEus omniscius, quid facturum esset quilibet
hominum, secum constituit, quid in liberis istis actioni-
bus fortunare, quid impedire, quid aliorum deflectere
velit. Interim DEus, qui est justissimus, obligatus non
est, ut quoties fortunam immittit variabilem, pro homi-
num captu apertas reddat rationes; sed sufficit homini
Christiano credere, quæ DEus fecit, ea esse optima, nec
ullum statum adeò esse miserum, quin peccata nostra
meruerint miseriores.

XX.

XX. Quod si igitur DEI Voluntas maximum Fortunæ habet arbitrium, absurdus certè est Machiavellus c. 25. p. 103. quod Julio II. Pontifici ex hoc fonte tribuit rerum commodum successum, *habuisse tempora & res cum sua agendi ratione consentientes.* Et veram itaque meretur stricturam Conringii p. 215. *Rectius, inquit, dixisset, ita evenisse, quod DEum habuerit consiliis ac rebus suis singulari modo benignum.* Nam benignitatem hic interpretor non pro gratiosa aliqua præsentia, quam atheus iste Pontifex vix erat meritus, sed pro conniventia seu permissione successus rerum temporalium: quo in sensu Cicero loquitur *Nat. Deor. lib. 2. § 165. Multos & nostra civitas & Græcia tulit singulares viros, quorum neminem, nisi iuvante DEo, talem fuisse credendum est.* Et paulò post §. 166. *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.* Ipse etiam Conringius se explicat cap. 7. p. 88. ubi cum dixisset, Alexandrum VI. Papam cum filio usos fortuna, *liceat, inquit, arcanum DEI favorem patrocinantem nonnunquam hominibus circa res hujus mundi, ita nunc appellare.*

XXI. Interim inter nos fortassè non pauci Romanis sunt similes, qui narrante Livio lib. 4. cap. 12. Calamitatem sentire putabant, *quæ vix ope DEorum sisti posset: & postea anno 402. à nato Christo, cum Gothi Romano Imperio minarentur interitum, ita ad omnes socios perscribebant:* *Scitis inde à Constantino M. tam desertos & DEorum inopes nos esse, ut præter Christianorum DEum nullum habeamus. Itaq; vos rogamus, ut suppetias nobis in præsentissimo hoc periculo cum Diis vestris venire non dedignemini. Nescimus enim, an ullus DEorum adeo sit potens, ut solus universum populum Romanum possit defendere.* Guevara *Horolog. Principp. lib. 1. cap. 8. pag. 23.* At quibus melior est animus, placet istud DEI effatum, *Esa. 46, 9. Ego prænuncio ab exordio, quæ futura sunt, in novissimo & ab initio, quæ nondum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Voco

ab oriente Avem, & de terra longinqua virum voluntatis meae. (i.e. Cyrum) Et locutus sum & adducam illud : Creavi & efficiam illud.

XXII. Quo posito facile est ad exempla Politica descendere. Etenim de reformatione Lutheri sera quorundam quæstio est, quam quoque tangit Monzambano cap. 1. §. 9. Cur Pontifex Luthero non dedisset Episcopi aut Cardinalis dignitatem, ut, qui violentis remediis non potuisset compesci, victus fuisset benignitate & beneficiis? Sed si vel maximè statuatur (ut simus liberales) Lutherum in bono pietatis proposito ita non fuisse confirmatum à DEO, ut Angeli jam confirmati sunt; ac adeò potuisse aliquas Pontificiorum blanditias admittere: Certè DEUS impedivit ejusmodi Consilia, & viceversa permisit insanire machinantium turbam, ut, quemadmodum Theander in multis locis fateatur, quasi vento facto, ignem pietatis ac zeli Christiani in eo excitarent, ac itaque nescientes ad finem minus sibi gratum operam & laborem contribuerent.

XXIII. Sic Gramondus Lib. 9. p. 441. miratur, cur tanta Hispanos occupasset caligo, ut Regem Galliaë Sectariorum s. Hugonottarum internecioni intentum nullis impedirent Consiliis. Sed rationem hæcenus colligere potui ex ipso Gramondo, voluisse DEUM Hugonottarum vires frangere, & inde auxilia hinc inde sperata abiisse inventos. Talis enim eorum erat jactantia lib. 6. p. 29. Quadringentis Calvinistarum millibus firmari causam, trecentis urbibus, mille & quingentis modi majoris tormentis bellicis: deniq; esse ferrum, & promptum tot millibus hominum libertati, aut ad mortem animum. Jam nihil est communius, quàm homines suis viribus fidentes, desereri à DEO, ut videant nimirum, non suâ vi niti quamlibet speciosam eorum potentiam: adeoque DEUS avertit Hispanos, imò ipsos Sectarios passus est prolabi in discordiam.

XXIV.

XXIV. *Savedra Symb. 73. pag. 623.* rectius ait consuluisse Philippum II. si motibus Belgicis propriâ personâ adfuisse, nec omnia odiosis ministrorum actionibus commisisset. Sed quid juvat consilium ferotinum, si DEUS ipsâ inquisitione Hispanicâ uti voluit, ad refrenandam Quintæ Monarchiæ cupiditatem? Certè non deerant, qui rebus adhuc integris meliora svadebant, nisi & Hispani & Belgæ meruissent deteriora. *Vide quid de Consiliis in Hispania pro & contra habitis recitet Forstnerus in Tacit. lib. 12. p. m. 80. seq.* Poteratqve adeo repeti, quod *Cominæus* de suo tempore scripserat *lib. 1. p. 308.* *Belgas dare pœnas eorum, quæ prosperis rebus admisissent.*

XXV. Plura Exempla per angustiam paginæ vix queunt proferri. Id saltem ex omnibus DEI contemptoribus quærerere velim, si cuncta non nisi variabili fortuna diriguntur, cur maximi Principes in monetis aliisque Symbolis DEUM primo loco ponunt? Maximiliani II. Symbolum erat: *DEUS PROVIDEBIT.* Rudolphus II. electus Imperator mensam pingebat eburneam, & super eam sex calculos seu sortes (ipse enim jam Rex Bohemiæ sex Electorum votis erat designatus) quibus septima fors adderetur è Cælo, addito Lemmate: *CONSENTIENTIBUS.* Et extant adhuc monetæ, Christianæ Svecicæ tradentis Regnum Carolo Gustavo, cum his verbis: *A DEO ET CHRISTINA* (pulchrum Exemplum causæ principalis & instrumentalis) item Electoris Brandenburgici post homagium Prussiæ 1663. præstitum, ubi Coronæ additur circumscriptio: *A DEO DATA.* Rudolphi Augusti Ducis Brunsvicensis, qui in ordinaria sua moneta addit Symbolum: *REMIGIO ALTISSIMI.* Et quæ suppetunt innumeræ aliæ.

XXVI. Sic Castruccius pessimus perjuriorum ac fallacia-

lacia-

laciatarum artifex, referente Machiavello *in vit. p. 17.* Romæ receptus in ordinem Senatorium, togam gestavit, cui à fronte inscriptum: *Est, quod DEus vult*; à tergo: *Est, quod DEus volet.* Quasi dictitante conscientiam intelligeret, vix sine pudore suam posse defendi potentiam, nisi in tam certa DEI directione ejus prætexeretur Voluntas. Sed erat, quod DEus volebat h.e. febris subitanea correptus in mediis tumultibus expirabat.

C A P U T II.

QVOMODO HOMINES AD FORTUNAM CONCURRANT PER PIETATEM.

XXVII. Pietatem inculcant Theologi, consistere eam, tum in amore DEI, tum in amore Proximi. Utrumque quâ ratione præstari debeat, non nisi ex fontibus veræ Religionis addiscitur. Licet enim, qui ex lumine naturæ pietatem sectati sunt, temporalia sæpè præmia obtinuerint: attamen, quia nec corruptionis nostræ originem intellexerunt, nec fidem salvificam, quæ in hac etiam temporalitate corruptioni solet medelam afferre, agnoverunt; fieri vix potuit, ut in adipiscenda fortuna invenirent certitudinem, haberentque solatium, in quo acquiescerent.

XXVIII. Equidem una quasi Politicorum vox est, defendendam esse Religionem: eam tamen pro externo opere, non pro interno conscientie officio accipiunt. De Richelio Cardinale jactabatur, *tantum in eo Religionis esse, quantum privatim conducit.* Gramond. l. 16. p. 691. De Mazarino, ejus discipulo, quid aliud dici poterat, quàm esse religionis servantissimum, *quatenus in externis actibus versaretur,* Priol. lib.

II. cap. 12. Inde, quod de Henrico VII. Verulamius asserit in
vit. p. 354. *Cœlum sæpè ad terram incurvatur, & religio ad rationes Po-
liticas.* Nam ita se gessit Epicurus fingendæ extrinsecus
religionis artifex. *Gassend. in ejus vita lib. 4. cap. 1. p. 75.* nec
disvadere videtur *Lipsius*, qui gratificaturus Pontificiis
Doct. Civil. lib. 1. cap. 3. externas ceremonias & cultum spe-
ctantia servari debere cupit *tanquam legibus jussa, non tanquam
Dius grata.* Multiqve hodie sunt in Religione nimis poli-
tici, exemplo Redvoldi Regis Orientalium Saxonum in
Anglia, qui, ut Ethnicos non minus quàm Christianos si-
bi devinciret, utrobique frequentabat templa. *Fabric. Orig.
Sax. lib. 1. p. 25.*

XXIX. Risum in re seria merebantur Hispani anno
1527. Obsessus enim in Castello Angeli tenebatur Ponti-
fex Clemens VII. à Carolo V. Hispaniæ Rege. Interim
solennes per Hispaniam supplicationes pro liberatione
Pontificis indictæ fuerant, tanto rigore, ut, cùm nasce-
retur filius Regis primogenitus Philippus II. nemo aude-
ret aut vestes lugubres deponere, aut publica lætitiæ si-
gna edere. *Gramond. lib. 3. p. 206. SAVEDR. Symb. 33. p. 259.*
Quasi verò preces aliquid proficiant, si actionibus nostris
ruamus in contrarium. Sed si religio lusus est, cur sup-
plicationes tanquam Comœdiæ nequeant exhiberi?

XXX. Sed quicquid ludant alii, manet tamen Reli-
gio *primum fundamentum Imperii ac Rationis Status*, si nec ficta sit
nec simulata, ut pulchrè differit *Septalius* Scriptor Pontifi-
cius, *Ration. Stat. lib. 2. cap. 10.* Vel si magis lubet provoca-
re ad Scripturam, ita loquitur Paulus *Rom. 8, 28. Diligenti-
bus DEum omnia cooperantur in bonum.* Et posse hæc verba ad
fortunam quoque Politicam extendi, ex eodem Paulo di-
scimus, *I. Timoth. 4. 8. Pietas, inquit, ad omnia utilis est, promif-
sionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura.* Imò cur ipsum Sal-
vato-

G

vato-

vatores non audimus, cujus apud *Matthæum* 6, 33. clarissimum hoc effatum est: *Querite primum Regnum Dei & justitiam eius: & hæc omnia, quibus politica etiam felicitas constat, adjicientur vobis.* O dictum firmissimum! o lapidem, ut *Verulamius Fab. Fort. p. 346.* loqui amat, *Theologiae & Philosophiae angularem.*

XXXI. At notum est duo Reip. esse tempora, Belli & Pacis: in pace fortuna politica sese potissimum exerit in confirmatione divitiarum ac honorum; in Bello is aestimatur felix, qui reportat Victoriâ. Utrumq; dici non potest, quantum pietas promoveat.

XXXII. Pacem quod spectat, provocamus ad verba indubitata *Ps. 112 3. Beatus Vir, qui timet Dominum, gloria, opes & divitiæ in domo ejus.* Seu ut latius enumerat *Moses Deut. 28. 3. Si Præcepta Dei audieris, benedictus tu in civitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caula ovium tuarum, benedicta horrea tua, benedictum canistrum tuum, & benedictæ reliquiae tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens.* Et inde *Salomon Prov. 3. 16. Sapientiam s. legis divinæ observantiam hoc ornat, elogio: Longitudo dierum in dextera ejus & in sinistra illius divitiæ & gloria.*

XXXIII. Certè quid à Politico sperari queat amplius, non apparet. Unicum obstat, quod *Martialem* quoq; ussit *lib 4. Epig. 21.*

*Nullos esse Deos, inane Cælum,
Affirmat Selius, probatq; quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.*

Sed absit Fortuna hæc apparens, quæ, quia fundamento divinæ benedictionis caret, citius interit, quam possidetur. Felicitas non est felicitas, si tantis postea doloribus redimi debeat, nisi febricitantem velis vocare felici-

felicem, qui liberam habet frigidæ potationem. At objiciunt Atheismi sectatores, nec in ipsis piis omninò impleri promissiones divinas, quin potius egere probos malis florentibus. Quibus tamen unica nostra Religio potest satisfacere. Etenim quia nemo in hac corruptione est perfectè pius, quis miretur, nullibi perfectè impleri posse has promissiones? Inde marcet sine calamitate lenta hæc pietas, ut segetes non proficiunt sine vento. Adde, quod sæpè videntur tristitia, quæ magnam nescientibus nobis includunt prosperitatem.

XXXIV. Do exempla: Christiernus Daniæ Rex adhuc puer in cunis fervari solitus, à Simia, quam fortè in aula discurrentem habebant, abreptus ad summum usq; palatii culmen exportabatur, timentibus cunctis, ne puer regius aut casu aut ungvibus bestię læderetur. *Svaning. in vit. lib. 1. cap. 5.* Et verò si deteriora accidissent puero, quis Regi & regno non iratam dixisset fortunam? Interim, o quantum ejus vita afferebat & patiebatur miseriam! Svecia natabat in fangvine; ipse confenescebat in carcere. Pari modò Dux Albanus difficilem habebat nascendi conditionem, cæsus videlicet ex utero materno *Limn. J. P. lib. 2. cap. 1. n. 19.* & quis non accusavisset fortunam, si puerulum adeò auspiciatum præcipiti morte voluisset eripere. Postea tamen, sive Belgæ spectarent Patriæ ruinas, sive Hispani amissas intuerentur provincias, utrinq; interfuisset Albanum mori vel embryonem.

XXXV. Sic Fratres Gvisii, quos Henricus III. in Gallia per Sicarium occidebat; Bironius, quem Henricus IV. quasi altum papaver confringebat; Ancræus à plebe Parisina in odium Reginae Mariæ discerptus; Quinqve Martius à Ludovico XIII. in deliciis habitus, postea

invidente Richelio condemnatus ; Fouqvetius in pudibundo carcere cum maxima bonorum jactura confefcens , & alii multi , quantas adverfus fortunam maligniorem evomiffent qverelas , fi minorem in aula experti admiiffionem , minori cum splendore vixiffent . Sed eventus docuit apparentem hanc felicitatem primum qvafi gradum fuiife ad extremam ignominiam . Et quis fcit , quanta fæpius mala tum phyfica tum moralia & civilia evitentur , fi DEus noftræ fortunæ frenum injiciens , paucioribus contentos effe jubeat .

XXXVI. Venio ad bellum , cujus ftudio hodierni Statiftæ nimium tribuere videntur . Sed rogo , velint infpicere , quæ DEus *Levit. 26.* non faltem Ifraëlitis , fed omnibus Ecclefie membris inculcata effe cupit : *Si in Præceptis meis ambulaveritis & mandata mea custodieritis , persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis in gladio. Persequentur quinq; de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia.* Cum ex adverfo *Deut. 32, 30.* feveriffimè conftituat fore , ut impiorum millia fugentur ab uno , decem millia à duobus . Quæ fententia dubium quoq; tollere videtur , cur impii adverfus populum DEI fæpius habuerint progressus ? Nam felices funt in aliorum pœnam , adeoq; comparantur virgis , quas , cum fatis ad caftigationem adhibuerimus , ablegamus in ignem . Pertinet huc quæftio : *num religione Christianâ minuatur fortitudo bellica ?* Sed quia non ita pridem adverfus Machiavellum talia difputavit *Cl. Thomafius* , nec accuratum difcurfum exfcribere , nec meliori subjungere deteriore audemus .

XXXVII. Sufficit igitur brevibus qvafi lineis deduxiffe , quantopere Theologicis etiam meditationibus opus habeant , qvicumq; fpartam Politicam à DEo fibi concessam cum laude ac felicitate cupiunt ornare ; & quam in-

figni-

signiter infaniant, quicunque cædibus, rapinis, injustitia, aliisque animi scelerati machinationibus ad veram & constantem Felicitatem conantur emergere. Cæterum Ordo nunc postulat, ut, quomodo Prudentia in Pietatis consortium veniat, pro modulo & chartæ & ingenii discquiramus.

CAPUT III.

QUOMODO HOMINES AD FORTUNAM CONCURRANT PER PRUDENTIAM.

XXXIIX. Prudentia est habitus circa ea, quæ homini bona aut mala sunt. An verò talis habitus detur in rebus politicis, &, si datur, an ille habeat aliquam certitudinem? gravis est controversia. Theophrasto, Aristotelis auditori & successori, tribuitur proverbium: *Vitam regit Fortuna, non Sapientia*, Conring. *Civil. Prud. c. 8. p. 123.* quam fortè secutus est Georg. Hornius *Orb. Polit. init.* qui canonem, *gubernari mundum exiguâ sapientiâ, vulgari dieteriô illustrat, DEi Providentia & hominum stultitia gubernari mundum.* Prioli iudicium hoc est *lib. 7. num. 1. Instabile & fluctuans, (inquit) est, quod vocamus Prudentiam, in electione positam rerum, quæ aliter atq; aliter se habent: si illæ incertæ, etiam ipsa, quia non solum de vincis rebus, sed magis iis, quæ astant, temporibus, locis & hominibus. Ideo obscuræ hujus virtutis nullus certus limes. Eventus omnes humani in alta nocte: omnia præclare & prudenter, si cum successu, prosperum cæptum virtus vocatur.*

XXXIX. At enim verò non penitus sibi constare iudicia prudentiæ opposita, vel inde colligitur, quod ipse Spiritus Sanctus in Proverbiis potissimum Salomonis accuratissimum inter stolidos & sapientes s. prudentes

ponit discrimen. Et ne hominum negligamus testimo-
nia, quoties calamitas proprio jumento videtur accerfi-
ta? Carolus VIII. judicante *Verulamio vit. Henr. VII. p. m. 240.*
post occupatam Neapolin, tot & tantos errores cumulavit, ut iis
nulla fortuna, licet optima, par esse posset h. e. Si DEus omnem
regnandi commoditatem, quâ unquam usus est Princeps
felicissimus, huic voluisset indulgere, eandem tamen
propriâ corrupisset fœcordiâ. Pari modô *Gramondus lib. 4.*
p. 254. Fridericum indignum vocat, qui lectus esset in
Regem Bohemiæ, cum ipse durante decretorio ad mon-
tem album prælio, tripudiis & ludicris dedisset operam;
quasi diceret, insignem hanc fortunam propriâ ejus cul-
pâ fuisse perditam.

XL. Cur etiam in eligendis Consiliariis, aut designan-
dis Legatis certus haberetur hominum delectus, si quod
Cicero Fam. l. 9. ep. 22. profert, stultorum omnia sunt plena,
nec aliqua prudentiæ excellentia quibusdam ingeniis in-
fidet. Et hoc profectò respiciens *Verulanius Fab. Fort. p. 321.*
diversa requirit specula: alterum divinum s. verbum
DEi, alterum politicum. Ut inde operæ jam sit pretium,
in istud speculum inquirere. Non quasi perfectum Pru-
dentiæ Systema velimus pertexere, quod prolixi volu-
minis est; sed ut primis saltem lineamentis ea deduca-
mus, quæ ad acqvirendum Prudentiæ habitum maximè
sunt necessaria.

XLI. Præmittimus tamen verba *Conringii Civil. Prudent.*
cap. 8. p. 144. Propositiones Politicæ sunt necessariò vera & quidem
fermè ex hypothesi; pleraq; non nisi frequentissimè sunt vera; quædam
incertiores sunt & verisimiliter duntaxat intelliguntur. Summus
enim Vir hoc videtur intendere, licet omnibus numeris
absoluta hîc non affulgeat certitudo, adesse tamen certi-
tudinem ejusmodi, quæ & disciplinam constituere & ha-
bitum

bitum absolvere queat, seu adesse demonstrationes interdum perfectas, interdum semiperfectas.

XLII. Antequam autem ad ipsos Prudentiæ fontes accessum faciamus, lubet generalem hanc præmittere Regulam: *Ne invitâ naturâ h. e. dotibus animi exiguis ad superiorem functionem aspiremus.* Sicut enim, qui oculis laborat, pictoris artificia non assequitur; qui pedibus utitur non admodum firmis, saltandi non evadit Magister; qui fauces experitur asperiores, cantandi gloriam libenter negligit: Ita profectò non levis est imprudentia, si ad Politicæ apicem aspiret, qui nec memoriâ gaudet, ad casus in animo retinendos; nec iudicio, ad eosdem examinandos; nec viribus tum animi, tum corporis, ad eos applicandos: nec deniq; præsentissima extemporalitate, ad eos pro necessitate mutandos. Certè dimidius Politicus nascitur; alteram dimidietatem complet doctrina & experientia. Et inde quicunq; fortunæ iniquitatem accusant, Senecam audiant *lib. 3. de Ira, cap. 31. Minus habeo, quàm speravi; sed fortasse plus speravi, quàm debui.*

XLIII. Ipsa verò Prudentia duplicem sibi operam deponcit. Primò agit, quibus modis conservatio ac felicitas Reip. debeat suscipi; Deinde inquirat, quomodo personæ tum in aulis tum in Magistratibus feliciter & cum successu se debeant gerere. Utriusq; fontes quasi per Sciagraphiam inspiciendos exhibebimus.

XLIV. Prudentiaquæ circa statum publicum versatur, tribus observandis occupata est. Primò cognoscit conditionem & statum Rerump. tum generaliter omnium, tum speciatim finitimarum & propriæ: Deinde naturam & ingenium tam Principum quàm subditorum attendit: Tandem quæ negotiorum & consiliorum fit natura, dispicit.

XLV.

XLV. Conditionem Reip. quibus divitiis instructa, quibus legibus comprehensa, quibus administrandi regulis fundata, quibus consuetudinibus aucta, quibus denique notis vicinorum statui aut conveniat, aut ab eodem discrepet; nosse imprimis necessarium est: nisi quis affirmet, posse tabellarium esse, qui viarum notitia destituatur, aut Sutores, qui nesciat distingvere corium. Et hoc quidem generaliter est libris, qui agunt de Formis Rerump. specialiter ex ipsis Archivis Principum aliisque Actis publicis addiscitur.

XLVI. Naturam & ingenia hominum perscrutari non minor est necessitas; quomodo inclinati sint Principes, quomodo inter subditos, nobiles intentionibus differant à plebejis, divites à pauperibus, cives à rusticis &c. Sic enim emergunt demum ejusmodi Regulæ, quæ aliquam Principum ac Subditorum introducunt conformitatem h. e. quæ ostendunt, quomodo Princeps in omnibus subditorum amorem mereri, odium effugere, autoritatem retinere queat. Certè si ne auceps quidem aut venator esse potest, qui ferarum mores ac naturam parùm perspexit; quid tribuere velimus Politico in his rebus cæcutienti. Cæterùm ista quidem pars imperfectè ex Historicis, perfectius è diversis peregrinationibus solet hauriri.

XLVII. Negotiorum natura licet videatur variabilis, ob infinitam circumstantiarum mutationem: certa tamen & velut indubitata suppetunt principia. Experientia docet, ubi festinandum, ubi vice versa cunctandum, sit; ubi timor, ubi amor incutiendus, ubi rectè ubi apertè rectius procedatur. Et, si descendamus ad negotiorum species, de Bello vera ut plurimum pronunciata sunt, *ea potius gerenda in solo alieno; hostem non esse adigendum ad desperationem; Militi non concedendas delicias; hostem non debere contemni;*

uni-

unius praelii fortunæ belli eventum non esse committendū &c. Sic de pace probatū est, eam optimè fieri manu armatâ; tractatum ejus rectè suscipi in loco neutrali; in pace retinendam belli curam &c. De Fœderibus pronuntiatur, alium juvando non esse attrahendam perniciem propriam; facile non esse confugiendum ad auxilia vicinorum potentiorum; minus esse sperandum de fœderatis remotioribus; fœdera vix ultra utilitatem utriusq; fœderati durare &c. Et quæ sunt plura. Quæ sparsim cognoscuntur è Politicorum conversationibus; plenius tamen è lectione historiarum, quæ propositis tot negotiorum exemplis, quasi per inductionem axiomata quædam generaliora eliciunt.

XLVIII. Personas Politicas quod attinet, miror earundem directionem in nulla reperiri disciplina, cum & ipsa cognitio per sit necessaria, nec ab ordine tractandi admodum abhorreat certè præter virtutes homileticas, quas habemus in Ethicis, nihil invenimus, quod Politicū dirigat. Sed de perfecto Tractatu cogitabitur alibi. Jam ad tres fontes respicio. 1. Nosce teipsum. 2. Nosce alios. 3. Nosce Negotia.

XLIX. Notitia sui jam supra thes. XLII. insinuata est. Sed hic plura requiruntur. Etenim quivis de suis virtutibus, facultatibus & adminiculis, nec minus de defectibus inhabilitate & obstaculis debet esse quàm certissimus, non ut in ista cognitione acquiescat, sed potius, ut in tempore cogitet, quibus artificiis virtutes recommendari, defectus aut excusari, aut honestiori quodam pallio contegi possint. Sicut Principem unoculum alter pictor dormientem, alter dimidiâ facie repræsentavit: sic difficilis loquela tarditate sermonis; naturæ ignavia animi lenitate; ignorantia consilii dubitante cunctatione solet incrustari. Certè qui rerum suarum minus conscius, ad quamvis fortunam cupit provolvi, tum demum ad meliorem notitiam redigitur, cum pœnitentiæ locus relinquitur nullus.

L. Notitia aliorum, svadente Verulamio Fab. Fort. p. 314.

D

per-

Similem partibus
nem solbi Seneca
tranquill. anim.
cap. 4. seqq.

percipi potest per vultus & ora, per verba, per facta, per ingenia, per fines, imò per relationes aliorum: & militat h. l. Regula: Defectus & vitia aliorum optimè discimus ab eorum inimicis; virtutes & facultates ab amicis; mores & tempora à familiis; opiniones & meditationes ab intimis familiaribus, cum quibus frequentius consilia miscent. Interim quia fenestra non datur adeò aperta, unde aliorum peccata possint inspicere, quò minus sæpè fallat augurium, ad supplendum hunc judicandi defectum opus est virtutibus Politicis, Diffidentiâ, Dissimulatione, quæ Taciturnitatem includit, & Simulatione.

LI. Voco Virtutes Politicas. Ethicæ enim virtutes pietatis aut pars sunt aut lacinia: sed politicæ pietatem si nō excludunt, formaliter non includunt: siquidem Ethicæ virtutes faciunt virum bonum; earundem extrema faciunt virum malum; cum ex adverso Politicarum virtutum absentia potius imprudentem arguat quàm malum; & rusticus vel opifex inde non amittat nomen boni viri, licet nec sit taciturnus, nec quomodo diffidendum aua, dissimulandum sit, exactè noverit.

LII. Diffidentiam intelligimus, quam Syracides commendat c. 6. v. 6. *Multi pacifici sunt tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.* Quæ verba Osiander ita declarat: *Multis affabilem te præbe: sed paucissimis arcana tua crede. Ergo non quidem suspicacem, sed prudentem tamen oportet esse eum, qui rebus suis consultum vult.* Lutheri versio sic se habet: *Halt's mit iederman freundlich/ vertraue aber unter tausenden kaum einem.* Sic etiam Dissimulatio & Simulatio improbari nequit, nisi velimus Deum ipsum corrigere, cur Israelitas jusserit simulare fugam, *Josua c. 8.* Sanè si obligati non sumus, ut alteri aperiamus nostra consilia, iisdem quocunqve modo contegendis ac dissimulandis nullum committitur peccatum. Addo *Savedra* censuram *Symb. 43. p. 328.* *Tunc solum licita esse possunt dissimulatio & astutia, quando neq; in fraudem impellunt, neq;*
aut

autoritati Principis inurunt maculam; quo casu non in vitiis ea numero, sed prudentiæ esse arbitror, aut ad virtutes pertinere.

LIII. Lipsius *Civil. doctr. lib. 4. c. 14.* enumeratas hæcenus virtutes ad prudentiam mixtam refert, quasi à virtute aut legibus devient, ac rore malitiæ vel minus vel magis conspergantur. Quod equidem tolerari vix potest. Nam licet istarum virtutum usus sit maximus in statu legali s. imperfecto; interim ipsæ vitium non habent, sed ostendunt, quomodo cum malis cautè & sine damno conversandum sit. Si enim non peccat Leonum aut Ursorum Magister, dum, quos nocere posse intelligit, cautius tractat; cur peccet, qui inter tot leones, ne dicam, Diabolos, diffidentiam induit & simulationem.

LIV. Movent aliqui hanc quæstionem, *an inter Virtutes Politicas referri debeat Deceptio?* Nam Gramondus *lib. 1. p. 51.* Henricum Mommorancium laudat, *nisi fuisset prudens in fas nefasq., dejectum fuisse à fortuna.* Sed quod supra dictum est, Prudentia limites petit à pietate: quatenus ista permittit actiones, eatenus justas & salutare pronuncio. Ulteriora qui appetunt, viderint, quibus rationibus Deo judice se queant excusare. Interim est aliquod Deceptionis Genus, quod Osiander ad *Grotium l. 3. c. 1. p. 1328.* vocare mavult solertiam, si e.g. Medicus ægrotum recommendato pharmaci sapore decipiat. Hæc erant latius deducenda, ne quis pietatem supra laudatam à nobis violari putet.

LV. Restat, ut pauca addamus de noscendis negotiis. Quod enim negotium nostræ fortunæ magis videtur favere, præferendum est alteri, quod minus favet. Ista verò talibus hinc inde regulis insinuantur: *Captandam aut expectandam in omnibus bonam occasionem. Aestimandum studiorum quorumvis valorem, ne inter Venatores simus Saltatores, inter Milites Musici, inter Musicos disputatores, inter disputatores mechanici. Fugienda esse, quæ parum gloria & mul-*

tum molestia, parum pretii multum invidia secum afferunt. Nihil faciendum esse frustra & sine certo fine. Et quæ sunt alia, quæ separatim & quæ per lancem saturam in libellis Fortunam politicam dirigentibus conscripta sunt.

LVI. Cæterum ad perfectum Politicum pertinent etiam externa ornamenta: eloquentia, de rebus differendi peritia, civilitas morum, linguarum notitia, exercitiorum usus, & alia pro diversitate locorum, temporum & personarum vel laudabilia vel necessaria. Sed sufficiat ea primò quasi indice tetigisse. Pagina enim non permittit, ut multam ubiqve interspergamus illustrationem, quod quidem facile potuisset fieri. Rejectis igitur reliquis in alium locum, rogamus Deum, ut omnes Principes, Augusto nostro, faventes Fortunæ Politicæ lucidissimis radiis perfundere, Augustum nostrum omni felicitatis augmento lætificare, universos denique Politicos, quibus nostræ Reip. salus commissa est, efficere velit quæ fortunatissimos.

Antiquorum Imperatorum hæc erat devotio, ut quæ imperii melioris tesseram, auream fortunæ imaginem asservarent in cubiculo. Inde Antoninus Pius, in signum translatis ad M. Antoninum Philosophum Imperii, hanc simul auream fortunam transportari ad eum iussit. *Jul. Capitolin. in Ant. fin.* Severus etiam Imp. cum duos filios Bassianum & Getam imperio esset præfecturus, de gemino fortunæ simulacro cogitavit. *Æl. Spart. in Sever. fin.* Sed meliore loco se habebunt res nostrorum Principum, si immortalē & omnipotentem Fortunæ Arbitrum, ipsorum Cubiculis, Cancellariis, Senatibus & Conventibus optemus perpetuò præsentem, & exclamemus cum Davide *Ps. 20.* *Exaudi te Dominus in die tribulationis, & invidium te reddat nomen Dei Jacob: Mittat tibi auxilium de Sancto & de Sion tueatur te: Tribuat tibi secundum cor tuum, & consilium tuum confirmet: Impleat Dominus omnes petitiones tuas &c.*

✻ (*) ✻